

§. Potest: sic enim statuit Concilium Mechlinense de anno 1570. c. 5. *De Ordinand.* Fagnanus insuper addit, quod, si Episcopus obligationi suae defuerit, successor eandem adimplere teneatur. *Pontas.*

CASUS VII. Didymus Religiosus professus Ordinis S. Francisci vult ordinari in subdiaconum. Potestne Episcopus ipsum admittre sine titulo?

§. Solus titulus Religionis sufficit, modo ille, qui petit sacros Ordines, habeat attestationem a suo Superiore, se esse Religiosum professum, & Religiosus talis ipse in praesentia Episcopi contestetur, se sponte professionem emisisse, conformiter ad constitutionem Pii V. de anno 1568. Clerus gallicanus peculiare desuper constitutiones edidit in Conventibus generalibus 1628. 1635. & 1645. vi quarum Episcopus ante admissionem Religiosi ad Ordines, obligare tenetur monasterium, ut ordinatum retineat ac servet, nec unquam dimittat, & si ille ex quocumque demum motivo discedat, ei de congrua sustentatione provideat. Quod si monasterium non habeat subsidia temporalia, spondere tenetur, se Religiosum non ejectionem absque consensu Episcopi. *Pontas.*

CASUS VIII. Benignus ordinatus ad titulum capellaniae simplicis, cujus redditus 150. floreni, nec habens aliunde sustentationem, eandem resignat in Curia Romana suo nepoti, ut ipsi serviat in titulum; nulla tamen facta mentione in procuratore ad resignandum, quod hoc Beneficium sibi ipse servierit in titulum. Potestne absque peccato sic resignare? An haec resignatio in foro interno est nulla?

§. Juxta Concilium Tridentinum Sess. 21. de reform. c. 2. Benignus non solum pessime egit resignando capellaniam; sed etiam resignatio est habenda pro nulla. Patitur tamen Decretum Concilii aliquam limitationem etiam in his provinciis, in quibus viget ejus observantia: 1. Quando resignatur Beneficium cum reservatione sufficientis pensionis. 2. Quando permutatur Beneficium cum aequali vel meliori. 3. Quando resignans possidet aliud Beneficium sufficiens ad sustentationem. 4. Quando resignans habet sufficientia bona temporalia ad congruam sustentationem. Observandum autem, hoc Decretum Concilii in Gallia non observari, quantum attinet ad nullitatem talis resignationis. *Pontas.*

CASUS IX. Achilles fuit ordinatus sub titulo patrimonii consistentis in redditibus annuis 50. florenorum, quos ipsi pater assignavit in fundo quodam. Pater post septem aut octo annos vendidit hunc fundum Briando, quin ipsi diceret, in eo titulum filii sui esse constitutum. Achilles noluit huic venditioni se opponere, ne patrem offenderet. Num peccavit Achilles?

Achilles permittendo alienationem tituli sui? An tuta conscientia potest compellere Briandum ad solvendam annuam pensionem 50. florenorum, immo etiam ad compensationem eorum, quae a septem vel octo annis necdum soluta fuerunt, salvo ipsi recursum in alia bona patris?

§. Achilles non peccavit; potestque a Briando exigere annuam solutionem 50. florenorum, & omnium residuorum, in quantum jus consuetudinarium provinciae non fuerit contrarium. *Pontas.*

CASUS X. Polybius viduus improlis videns Josephum Acolytum valde pauperem aspirare ad sacros Ordines, ipsi confert titulum 75. florenorum reddituum annuorum, & Josephus ad subdiaconatum admissus est. Verum contracto postmodum matrimonio ac suscepta prole Polybius revocat donationem. Potestne eam revocare tuta conscientia?

§. Verum est, superveniente imperato prole legitima donatorem posse revocare donationem factam, dum prole carebat; sed, cum status clericalis sit privilegiatus, & Ecclesia semper necessarium judicaverit, ut nemo admittatur ad illum statum absque titulo, iste titulus nullo modo alienari potest. Hinc Polybius non potest revocare donationem factam Josepho, nec illi propterea actionem intentare. *Pontas.*

CASUS XI. Urinus homo plebejus degens in provincia, in qua exiguntur tributa personalia, ordinatus est in presbyterum sub titulo ipsi a patre assignato in quodam fundo nobili ferente annuos redditus 50. florenorum. Exactores tributorum exigunt ab Urino tributum ex hoc fundo nobili; id ipse recusat, eo quod in hoc fundo habeat constitutum titulum, adeoque habendus sit pro fundo ecclesiastico, saltem quamdiu viveret. An Urinus tutus est in conscientia, si nil solvat?

§. Si Urinus ita est dispositus, ut velit solvere tributum, si exigatur, & certum fuerit, deberi tributum ex hoc fundo, tutus est in conscientia, etsi prima vice solutioni sese opposuerit. *Pontas.*

TONSURA.

1. Corona seu *Tonsura* est symbolum potestatis regiae spiritualis, quam consequuntur Clerici in ordine ad regimen aliorum fidelium. Primam suam originem tonsura repetit a Nazaraeis, fuitque instituta jam a tempore Apostolorum.

2. Per tonsuram quis fit Clericus; & quamvis non habeat rationem Ordinis, sed simplicis duntaxat caeremoniae ab Eccle,

Ecclesia instituta, est tamen dispositio, ac quasi janua ad Ordines. Nullum potest clericale ministerium exerceri, nullumque Beneficium possideri, nisi recepta prius tonsura. Nunquam admittitur Clericus ad petendum Beneficium, aut de eo litigandum, nisi prius in originali produxerit literas testimoniales de recepta tonsura.

3. Juxta jus antiquum annus ætatis septimus sufficiens cenlebatur, ut quis prima tonsura posset initiari; sed moderno tempore communiter ætas profectior requiritur. Cæterum ut quis possit tonsura clericali initiari, necesse est, ut sciat legere, scribere, ac principales articulos fidei nostræ, & ut sit confirmatus. Concilium Rothomagensis de anno 1582. requirit insuper, ut tonsurandus sit ex legitimo thoro natus. Proprius solum Episcopus potest diocesano suo tonsuram conferre; & si quis eam consecutus fuisset ab alieno Episcopo, tenetur sibi Roma literas procurare, quæ dicuntur *perinde valere*. Iteratio denique tonsuræ non inducit irregularitatem.

CASUS I. Queritur subdiaconus & Canonicus nunquam defert coronam clericalem, ac insuper gerit longiorem comam. An peccat mortaliter?

3. Sacri Canones obligant omnes in Ordinibus sacris constitutos ad deferendam coronam clericalem, & breviorem comam. Hinc dici potest, transgressores horum Canonum peccare mortaliter, si eorum inobedientia per notabile tempus duret. *Pontas.*

CASUS II. Mævius habens solum tonsuram sine ullo Beneficio quærit, an teneatur recitare divinum Officium, aut illi interdum assistere?

3. Ecclesia non obligat Clericos solum tonsuratos ad recitationem Breviarii, nec ad alias preces particulares, si nec Beneficium, nec pensionem clericalem habeant; certum tamen est, quod teneantur assistere Officiis ecclesiæ publicis, saltem diebus Dominicis & Festis. *Pontas.*

CASUS III. Theophanes cum afficeretur erga aliquem Prioratum sibi valde commodum, ut illum obtineat, recipit tonsuram absque ullo animo recipiendi Ordines. An commisit peccatum grave?

3. Quamvis non detur absoluta obligatio suscepta semel tonsura permanendi in statu clericali; peccat tamen graviter suscipiens tonsuram absque animo permanendi in statu clericali. Hinc Theophanes egit contra mentem Ecclesiæ, & tanta conscientia non potest retinere hunc Prioratum. *Pontas.*

CASUS IV. Mathurinus post secundas jam nuptias denuo in statum viduitatis redactus recipit tonsuram, quin declaravit

rit irregularitatem ex bigamia contractam, animo tamen petendi dispensationem, antequam Ordines minores & Subdiaconatum recepturus esset. Potuitne sic recipere tonsuram, quin violarit leges Ecclesiæ?

3. Supposito quod tonsura non sit numeranda inter Ordines, licet gravissimi Authores contrarium defendant, Mathurinus in præsentis casu non egit contra leges Ecclesiæ, etiam si irregularis fuerit: irregularitas enim tantum importat inhabilitatem ad recipiendos & exercendos Ordines. Nihilominus pessime egit Mathurinus, dum de bigamia non monuit Episcopum, qui certe tonsuram ipsi non contulisset sine prævia dispensatione. *Pontas.*

CASUS V. Sothenes Patronus cujusdam Capellanæ simplicis in diocesi Ebroicensi, eandem obtulit Gerardo ex diocesi Bajocensi oriundo, per decem jam annos commoranti in diocesi Lexoviensi. A quonam horum trium Episcoporum Gerardus accipere debet tonsuram?

3. Distinctio trium Episcoporum, scilicet originis, Beneficii, & domicilii solum respicit Ordines, & non tonsuram, de qua jus mentionem non facit. Hinc Gerardus non potest tonsuram accipere nisi ab Episcopo originis, nempe Bajocensi, cum adhuc considerandus sit tanquam simplex laicus, quoad hoc tantum Episcopo originis subiectus. *Pontas.*

CASUS VI. Raymundus natus in diocesi Trecoriensi, ibique in casu necessitatis sine cæremoniis baptizatus a parochâ, postea translatus est in diocesin Venetientem, ubi suppletæ fuerunt cæremoniæ Baptismi, ipsique nomen Raymundi inditum. Post duodecim aut quindecim annos acceptis ab Episcopo Venetienti literis dimissorialibus tonsuram accepit ab Episcopo Rhedonensi. Jam, cum & Ordines suscipere cogitet, quærit, an literas dimissoriales debeat petere ab Episcopo Venetienti, in cujus diocesi fuerunt suppletæ cæremoniæ Baptismi, & ipsi nomen inditum; vel an teneatur recurrere ad Episcopum Trecoriensem, in cujus diocesi natus est.

3. Dantur duæ diversæ sententiæ quoad Episcopum originis: aliqui putant, illum esse Episcopum originis, in cujus diocesi quis natus est, etiam si ibi non sit baptizatus; alii autem Episcopum originis esse censent, in cujus diocesi quis baptizatus est, licet ibi natus non sit. Episcopus autem, in cujus diocesi solum suppletæ sunt cæremoniæ Baptismi, & impositum nomen, non potest censeri proprius esse Episcopus; nec ullus Authorum id asserit. Hinc Raymundus non potuit tonsurari ab Episcopo Venetienti. Nihilominus, cum tonsura non sit Ordo, nolumus asserere, eam ab alieno Episcopo collatam esse absolute nullam. *Pontas.*

Dist. Cas. Conf. Tom. III.

Q o

CASUS

CASUS VII. Clericus quidam habet pensionem ex quodam Beneficio; & tamen nec tonsuram desert, nec habitum clericalem.

3. Tuta conscientia non potest frui hac pensione; & Episcopus habet jus eum per censuras compellendi, ut vivat clericaliter, aut renunciet suæ pensioni. *Fromageau.*

CASUS VIII. In quadam dicecesi viget statutum, vi cuius nemo est admittendus ad tonsuram ante annum ætatis decimum quartum. Potestne Episcopus interdum agere contra hoc statutum?

3. Absque causa legitima non potest illud transgredi. Nec spes, quam habet adolescens novem annorum ad aliquod Beneficium sibi oblatum, est sufficiens ratio, ut Episcopus contra hoc statutum ipsi conferre possit tonsuram. *Fromageau.*

Vide *Beneficium. Clericus. Ordo Caf. 18. & 19.*

TRANSACTION.

1. *Transactio juxta Polmanum est Conventio onerosa, qua res dubia & incerta componitur inter partes.* Transactio nunquam dirimit dissidii articulum, de quo transigentes non cogitarunt, sed illud solum, de quo inter partes expressis verbis conventum est, aut quod ex eo necessario consequitur.

2. Quando lis est cum duobus de eadem re, potest transigi cum alterutro, quin conventiones cum eo initæ possint prodesse alteri, quocum transactum non fuit.

3. Omnis transactio habet vim rei judicatæ, & rationem iudicii eo firmioris, quo contrahentes ultronee & majori cum libertate consenserunt. Licitum est, imo consuetum in transactione convenire de pœna in eum, qui exequi noluerit transactionem; eamque pœnam alter a transgrediente potest exigere.

4. Quævis transactio evadit nulla per fraudem, quæ ei dat causam. Jus acquisitum per testamentum semper subsistit, non obstante quavis transactione contraria cum hærede inita, quando hoc jus latebat tempore transactionis, & dein patuit per testamentum hæctenus ignoratum. Aliud dicendum foret de transactione generali inita de omnibus prætensionibus ac juribus mutuis partium, & una pars contrahentium postmodum detegeret novum titulum sibi favorabilem.

5. Contrahenti alleganti, se fuisse læsum per transactionem, non datur actio in iudicio; quia sic lites in infinitum multiplicarentur.

6. Trans-

6. Transactio inita litis causa, quæ ignorabatur jam esse judicata, est nulla, si lis coram supremo Principe fuerit judicata. Verum si lis tantum judicata est à Judice subalterno, transactio suum sortitur effectum: à tali enim Judice datur appellatio prioris actionis judicialis suspensiva.

CASUS I. Tiburtius & Philibertus super diversis rebus litigantes, ut omnibus processibus simul finem facerent, transactionem generalem ineunt. Tiburtius præterdit, sibi a Philiberto deberi 1200. florenos, & Philibertus sese offert ad solvendos 1000. florenos. Tiburtius acceptat oblatum, & præstita solutione omnibus suis ulterioribus prætensionibus renunciat. Verum post sex menses Philibertus reperit apocham, qua agnoscit, se tantum amplius debuisse 600. florenos. Potestne Philibertus agere ad resolutionem transactionis; eoquod læsus fuerit?

3. Transactio ista cum fuerit generalis, & fraus non intervenierit, Philibertus non potest agere ad rescissionem illius. Pro compensatione damni respicienda est terminatio litis, quæ fuisset ambigua. *Pontas.*

CASUS II. Frobertus & Natalis integro anno jam litigant de hereditate inter se dividenda; tandem ambo litis pertractati transigunt; sed post transactionem audiunt, jam ante biduum latam esse sententiam in favorem Froberti. An hic poterit rescindere transactionem, utpote sibi non ita favorabilem, ac est sententia?

3. Transactio post rem judicatam in iudicis partibus inita valet, si sententia non fuit lata a supremo tribunali, a quo appellari non potest. *Leg. Et post rem. 7. ff. Lib. 2. Tit. 15. Item Leg. post rem. 11. ibid.* Et ex hoc principio prætensio Froberti decidenda est. *Pontas.*

CASUS III. Richardus Archidiaconus cujusdam ecclesiæ metropolitanæ, habens annexam suæ Dignitari præbendam obiit; & Mauritius ac Paulinus, unus provivus in Curia Romana, alter ab Ordinario, litigant de successione in Dignitatem ac Beneficium Richardi. Re nondum judicata transigunt, ut Mauritius recipiat Archidiaconatum, & Paulinus præbendam; uterque etiam possessionem cepit non repugnante Capitulo. An hæc transactio sit legitima?

3. Certum est, eam esse nullam ac illegitimam: non enim est in potestate privatorum dividere Beneficia semel unita. Imo transactio ista est etiam simoniaca, & nec Mauritius, nec Paulinus possidere potest hæc Beneficia. *Pontas.*

CASUS IV. Nereus & Andreas litigantes de dependentia cujusdam feudi nobilis, tandem amicabiliter transigunt, ita, ut Andreas desinat a suis prætensionibus, Nereus autem teneatur

tur ipsi dare duos equos cursorios. Nereus habet quidem sex huiusmodi equos, quorum duos destinaverat Andreæ; sed il omnes brevi post transactionem perierunt incendio. Tenetur ne emere alios duos ejusmodi equos, quos tradat Andreæ?

R. Si Nereus non fuit in mora solvendi eo tempore, quo contigit incendium, ad nihil tenetur Andreæ. Leg. *Si mihi*, 92. ff. Lib. 46. Tit. 3. Verum quia non est evidens, Nereum se tantum obligasse ad tradendos duos equos a se actu possessos; sed potius transegisse videtur sub terminis generalibus, & promississe duos equos cursorios indiscriminatim sumptos, tenetur in conscientia emere duos alios equos, eosque tradere Andreæ.

TRIBUTUM.

1. Per *Tributum* intelligitur *pensio* imposita subditis ad Principis dignitatem impendiaque communia sustinenda. Indubitatum est, iuste a Principe subditis imponi tributum: cum enim status unum morale corpus efficiat, cuius membrum quisque privatus constituit, necessarium est, ut quisvis pro ratione facultatum suarum ad conservationem totius corporis contribuat, ejusque necessitatibus subveniat, quales sunt bellum pro patria, condigna sustentatio familiae Principis, legationes necessariae ac utiles, salarium publicorum Officialium ac ministrorum patriæ, expunctio debitorum status, restauratio & conservatio pontium & viarum publicarum &c.

2. Tributum dividitur in personale & reale. *Personale* est, quod personis imponitur solvendum ex bonis mobilibus ac immobilibus, immo & industrialibus; vocaturque *Tributum capitis* seu *capitatio*. *Reale* est, quod imponitur fundis nulla habita ratione personarum.

3. Dantur & alia tributa, quæ exiguntur ex rebus mobilibus v. g. vino, sale, ligno, aliisque mercibus ac utensilibus, & vocantur *vestigalia* seu *pensio taxata super rebus in provinciam, civitatemque investitis aut evestitis*.

4. Subditi tenentur Principi persolvere tributa: *Reddite ergo*, inquit Christus, quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Et Apostolus: *Necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam: ideo enim & tributa præstatis. Reddite ergo omnibus (Principibus) debita; cui tributum, tributum; cui vestigal, vestigal*. Datur ergo obligatio in conscientia Principi persolvendi tributa; eorumque defraudatio quandoque est peccatum mortale, diciturque in jure Romano *defraudati vestigalis crimen*.

5. Tributa ita debentur Principi, ut quibuscumque aliis debitis privatis, nisi speciali gaudeant privilegio, præferantur. Sunt, qui a persolutione tributorum ac vectigalium eximuntur v. g. ob dignitatem status, ut personæ ecclesiasticæ, aut ratione ministerii, quo funguntur, ut quidam Nobiles ac primarii Principis ministri aut legati extranei, ac demum ob peculiaria privilegia solis personis adhærentia, licet quandoque ex speciali Principis gratia etiam successoribus communicabilia. Merces quædam etiam ab onere vectigalium immunes existunt, ut v. g. libri. Cæterum hac in re ubique inspiciendæ sunt leges provinciales.

CASUS I. Humbertus & Arnaldus pauperes agricolæ, deputati ad taxationem tributi, Jacobum virum pagi præ cæteris ditorem taxare non audebant juxta proportionem bonorum suorum; ex quo proia major summa, ac oportebat, solvenda incubuit reliquis pagi incolis. Num peccarunt? Et posito quod peccaverint, an in conscientia tenentur reparare damnum Communitati illatum?

R. Juxta S. Beuve non solum peccarunt contra justitiam; sed & cum leges justam & æquam taxæ partitionem fieri velint, tenentur, & quidem quisvis in solidum, Communitati læsæ restituere tantum, quantum Jacobo remiserunt, si hic non restituat. *Pontas*.

CASUS II. Gerardus ditissimus in sua parochia jam a quindecim annis solus cum consensu Communitatis singulis parochianis taxat quotam tributi integræ parochiæ impositi: in hac vero taxatione quosdam suorum consanguineorum & amicorum dimidia fere parte sublevat. Petrus & Paulus collectores tributi id tolerant, an coram Deo injustitiæ rei sunt, licet ejusdem complices non sint, & nec minimum exinde emolumentum capiant?

R. Cum taxatio quotæ ad solos collectores tributi spectet, & Petrus ac Paulus id a Gerardo fieri permiserint, participes esse reddiderant omnium injustitiam a Gerardo commissarum, ac si ipsimet easdem commisissent juxta regulam juris: *Qui facit per alium, perinde est, ac si faciat per se ipsum*. Hinc ad restitutionem quoque tenentur. *Pontas*.

CASUS III. Petrus cum Joanne & Ludovico collector tributi erat. Cum autem id pro anno sequenti taxandum esset, egestate coactus in aliam provinciam abiit, ut ibi lucraretur quotam tributi a se ipso persolvendam, & sustentationem familiae suæ pro instante hyeme; constituit autem, qui loco sui collectoris partes expleret, virum probum ac justum, amicum suum, illique, ne quidquam contra justitiam ageret, expresse mandavit. Domum postea redux comperit, plures pauperes

nimum esse taxatos, & quosdam divites longe minori, ac par erat taxatione esse affectos. Verum cum amicus ille interea obisset, nescit jam, an particeps fuerit injustitiæ a Joanne & Ludovico commissæ. Hinc quærit, an teneatur ad aliquam restitutionem.

R. Petrus ad nullam in hoc casu restitutionem tenetur; quia juxta S. Gregorium *rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit.* Ad hæc eo magis Petrus ab omni culpa excusari debet, quo urgentior erat causa absentis suæ. Præsumere denique poterit, amicum, cujus probitatem noverat, juxta æquitatis ac justitiæ leges partes sibi demandatas explevisse. *Pontas.*

CASUS IV. In quodam pago a quindecim jam annis viget coninetudo, ut divites dimidio minus quam pauperes in persolitione tributi taxentur. Dionysius hæres unius ex collectoribus, qui ante decem annos obierat, quærit, an loco patris sui teneatur ad restitutionem.

R. Cum certum non sit, patrem Dionysii fuisse participem hujus injustitiæ, juxta regulam juris: *In obscuris minimum est sequendum,* Dionysius non potest obligari ad restitutionem. *Pontas.*

CASUS V. Maximinus advocatus valde dives; ejus omnes loci incolæ variis ex titulis debitores existunt, pro sua quota tributi solvit tantum decem florenos, cum tamen habita ratione bonorum posset ac deberet centum florenos solvere; nec ullus ex communitate ob rationem allegatam amplioram ipsi taxam imponere audeat. Estne Maximinus securus in conscientia? An non tenetur coram Deo ultro majorem contribuere summam, iisque restituere, qui ob tenuem nimis ipsius tributum nimium hucusque fuerunt gravati?

R. In foro interno ad omnia tenetur: nisi enim substitisset dicta causa, collectores absque dubio taxam centum florenorum ipsi imposuissent, a qua imponenda solum metu absterrebantur. Juxta Sylvestrum de Plerio II, qui occultant bona sua ad evitandam majorem taxam, quam solvere possent ac deberent, tenentur compensare damnum, quod alii exinde sustinent. Prorsus ergo excusari non potest dives, qui vix solvit decimam partem tributi pro ratione bonorum inorum secundum jus & fas alias præstandi, & cui taxa solum ideo alleviatur, ne pauperibus, supra quos eminent, malum inferat. *Pontas.*

CASUS VI. Sex Officiales judiciales in exigua quadam civitate collectores ac directores tributorum aliarumque exactionum a duobus primis vel tribus annis aliam inierant rationem exactiones colligendi, ac prius vigerat: antehac enim

enim exactiones tributariæ fiebant juxta numerum pecorum in dicta civitate valde copiosum; jam autem taxationes fiunt ex fundis. Hæc autem mutatio valde gravis accidit pauperibus incolis, qui hæc multa possidebant pecora, plures tamen fundos; omnino autem proficua dictis Officialibus, qui plurima aiebant pecora, fundos autem numerabant paucos. An hæc mutatio fieri potuit absque injustitia? An non tenentur Officiales isti ad restitutionem?

R. Si mutatio hæc facta est auctoritate legitima, & studio promovendi bonum communitatis, injuste non egerunt Officiales, nec ad compensationem damni obligari possunt; cum bonum communitatis semper præferendum sit bono privatorum. Si vero incolæ civitatis solum tacite connivendo eorum fidelitati ac æquitati reliquerunt taxationem tributorum, mutatio hæc juste fieri non potuit absque præscitu ac consensu communitatis; juxta regulam juris: *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari;* prout & id statuerunt plures constitutiones Principum & supremorum tribunaliū. Nihilominus, si Officiales etiam sine consilio civium hanc mutationem inierant, agentes tamen bona fide solum bonum commune promovere intenderunt, non videntur eos obligandos esse ad faciendam læsis restitutionem; etsi per accidens proprium senserint commodum. Verum si mala fide egerunt, solum privato commodo suo intenti, a restitutione excusari non possunt. *Pontas.*

CASUS VII. Alexander magna apud Principem pollens gratia per Ministrum obtinuit diminutionem tributi pro parochia quoad jurisdictionem territorialem sibi subjecta, ita ut in posterum tantum 300. floreni exigerentur, dum hucusque 600. floreni solvebantur. Dein insinuat collectoribus, suam in impetratione hujus gratiæ intentionem fuisse alleviandi specialiter tributum suorum emphitevtarum. Itaque collectores cum consensu magnæ partis incolarum emphitevtis Alexandri solum imponunt taxam quindecim florenorum, cum servata proportione facile quinquaginta solvere debuissent. An collectores sic volentes nomine communitatis exhibere gratitudinem Alexandro commiserunt injustitiam, ob quam teneantur ad restitutionem?

R. Commiserunt injustitiam. Ratio est; quia intentio Principis aut Ministri non erat exhibendi favorem solum emphitevtis Alexandri, sed toti communitati, & maxime pauperibus loci, servata æqualitate justitiæ distributiæ. Et consequenter collectores tenentur ad restitutionem, nisi Alexander aut emphitevtæ ipsius restituant. Nec obsat, quod dicant, se non nisi in gratiæ an mi signum ob impetratam a Principe

cipe gratiam leviolem Alexandri emphitevtis designasse taxam, & quidem cum consensu maioris partis incolarum: non enim sine vitio exhibetur gratitudo, quæ sine violatione legum iustitiæ exhiberi non potest, maxime si simul desit potestas & authoritas eam exhibendi, ut deerat in casu posito, in quo collectores non poterant hanc exhibere benevolentiam sine consensu unanimi totius communitatis, & maxime pauperum, qui præ aliis patiebantur. *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari. Pontas.*

CASUS VIII. Ruffinus Francisco viro nobili in matrimonium dedit filiam suam, eique simulatorie in dotem assignavit fundum annui redditus 1000. florenorum, receptis a Francisco litteris reversalibus, vi quarum tres tantum tertiæ partes horum reddituum filiæ in dotem deberentur, nempe 750. floreni, & reliqua pars 250. florenorum remaneret in dominio Ruffini, qui hac fraude usus est, ut sic se se eximeret a tributo ex quarta hac fundi parte solvendo. Teneturne incolis loci resarcire damnum? Aut in defectu ipsius num Francisco & Notariis, qui subscripserunt litteras reversales, tenentur restituere?

ꝛ. Cum Ruffinus maneat dominus quartæ partis fundi in speciem dotalis, nempe 250. florenorum, tenetur communitati ad restitutionem pro rata hujus partis: *Fraus enim & dolus juxta Innocentium III. C. Officii. 14. Lib. 3. Tit. 26. alicui patrocinari non debent.* Si Franciscus cum Ruffino colulit, & complex fraudis fuit, tenetur in defectu Ruffini restituere, sicut & Notariis, si & ipse bona fide non egit. *Pontas.*

CASUS IX. In quadam conferentia Clericorum agitabatur quæstio: An Principes regio orti sanguine, quorum famuli domestici actuales ex speciali privilegio Regio exempti sunt a tributis, possint absque iniustitia cuiquam conferre titulum famuli sui domestici, eumque sic eximere a tributo, licet nec salarium recipiat, nec ullum obeat servitium. An affirmativa, vel negativa sententia est tenenda?

ꝛ. Indubitato negativa: peccarent enim contra iustitiam Principes sic agendo, tum contra intentionem supremi Principis, tum in præjudicium aliorum. Privilegium exemptionis a tributis solum competit famulis Principum actuale servitium præstantibus, ac salarium recipientibus. Hinc ejusmodi famulus solum titularis non minus ac alii taxationi tributarie subijcitur. *Pontas.*

CASUS X. Marcella ex redditibus annuis 175. florenorum haud exacte & fideliter perceptis valde magnam tributi quotam solvere debebat jam a quatuordecim annis. Hinc collectoribus tributi, incolis ac Syndico loci insinuat, se se

abi-

abituram in aliam parochiam ad filium suum parochum ibidem; ideoque se non amplius fore taxandam nisi pro hoc anno. Parochus filius spondebat incolis, se pro matre sua soluturum duodecim florenos, ea conditione, ut una cum aliis in eundem finem oblati applicarentur, & mater in futurum a taxatione tributi eximeretur; id quod incolæ ob amorem ac gratitudinem erga parochum valde zelosum mox acceptarunt. Securine iust in conscientia tam parochus quam mater ipsius, & incolæ loci?

ꝛ. Dicendum, parochum nihil contra conscientiam suam egisse: egit enim bona fide & absque fraude. Pariter & parochiani egerunt licite ac laudabiliter. Et, cum Marcella incolis parochiæ, quam prius incoluerat, insinuarit suum discessum, tuta conscientia potuit sese eximere a taxatione. *Pontas.*

CASUS XI. Mauritius mercator negotiatur variis in locis intra & extra provinciam, ac sæpe defraudat vectigalia mercibus imposita, eas invehendo vel evehendo per vias insuetas, vel alio quovis modo decipiendo exactores, nec se peccare existimat; eo quod vectigalia sint immodica, & probati Auctores asserant, legem solvendi vectigalia esse tantum pœnalem, adeoque non obligare in conscientia, nisi post sententiam Judicis. An licite sic agit?

ꝛ. Ut melius agnoscatur iustitia vectigalium, notandum ex Cabassutio L. 6. Juris Can. Theor. c. 19. n. 2. quinque requiri conditiones, ut vectigalia sint legitima: 1. Vectigalia non possunt exigi nisi a supremo Domino in statu politico, sive præsit unus, sive plures. 2. Ut vectigal exigi possit, iusta legitimaque debet subesse causa, ita ut Princeps rationabiliter id non exigere non possit. 3. Exactio vectigalium major non esse debet, ac necessitas Principis & Status postulat. 4. Princeps vectigalia in pravos vel inutiles fines infumere non debet. 5. Vectigalia per longius temporis spatium, ac necessitas petit, exigi non debent. Hoc supposito dicendum, Mauritium absque peccato non potuisse per fraudem declinare vectigalia legitima a Principe imposita. Rationes allatæ nullius sunt roboris; quia non pertinet ad Mauritium aut alias personas privatas judicare de excessu vectigalium, cum non debeant, immo nec possint scire necessitates Status, pro quibus subditis imponuntur tributa. Quod attinet ad id, quod lex vectigalium sit tantum pœnalis, non obligans in conscientia ante sententiam judicis condemnantis, est opinio paucorum, jam pridem profligata a longe majori numero Doctorum; oppositumque omnino confor-